

Johann Cothmann Daniel Michaelis

## **Anakephalasis Doctrinae Orthodoxae, De Natura Verbi Dei Revelati**

Rostochi[i]: Kilius, 1641


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739745077>

Druck Freier  Zugang



Vert. v. D. Michael

Joh. Colmann/a  
R. U. theol. 1641.



5  
ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ

Doctrinae Orthodoxae,  
DE

NATURA VERBI  
DEI REVELATI:

Quam,

Divino adspirante Numine,

SUB PRÆSIDIO

*Magnifici, admodum Reverendi, Clarissimi,  
& Excellentissimi VIRI,*

Dn. JOHANNIS COTHMANNI,

S. S. Theologiae Doctoris, Professoris, & p t.  
Rectoris, Dn. Praeceptoris & Fautoris sui per-  
petim suspiciendi,

*Publicè ventilandam proponit*

DANIEL MICHAËL, Gustavo-  
Megap.

Auctor & Respondens;

*d. 31. Jul. in Acroterio majori, horis à septimâ matutinis.*



ROSTOCHI

Excudebat NICOLAUS KILIUS, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XLI.

ANAAAAA  
Doctus Orthodoxus  
DE

NATURA VERBI  
DEI REVELATI

Divino adhibente Numine  
suo proprio



DANIEL MICHAEL GUSTAVUS  
Rostochii

Rostochii



IN  
DE

NATURA VERBI DEI  
REVELATI.  
THESIS I.

**R**imam Studioso Theolo-  
giæ curam incumbere certum est,  
ut Naturam Verbi DEI, quantum  
ejus fieri potest, per Spiritus San-  
cti gratiam accuratè cognoscat.

Nam vel ipsa Theologiæ vox, rationem cognitionis & cultus ve-  
ri DEI pollicetur, ut per se patet. Undè Theologiam Paulus de-  
finit *ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' ἐυσέβειαν* Tit. 1. v. 1. Petrus  
*ἐπίγνωσιν τῆς θεῆς, κατ' ἡσθεῖν τῆς κυρίας ἡμῶν* 2. Pet. 1. v. 2. Con-  
fer Joh. 17. 3. 1. Tim. 2. 4. Heb. 10. 26. Eph. 1. 17, 18. Eph. 4. 13.  
Quamvis autem detur notitia quædam DEI Naturalis, de quâ  
constat, inprimis ex Rom. 1. v. 19, 20. Cap. 2. v. 14, 15. Ea tamen  
multis modis imperfectissima deprehenditur; nec aliâ Deus co-  
gnosci vult aut coli ratione, quàm juxta præscriptum Verbi re-  
velati, de quo Esa. 8. 20. 2. Joh. v. 9, 10. & passim alibi. Quùm er-  
gò solum DEI Verbum norma sit ac principium omnis Theo-  
logiæ seu notitiæ, seu veritatis; certè, Theologiæ Studioso, Na-  
tura illius omnium primò pernoscenda est.

II. Natura Verbi distinctè spectari debet: ra-  
tione videlicet tum Revelationis; tum Inter-  
pretationis.

*Ratione Revelationis*, à priori, quatenus in se consideratur, & in  
suis Causis: *Ratione Interpretationis*, à posteriori, quoad NOS,  
quatenus verum illius sensum scrutamur.

A 2

III. De

III. De Verbo DEI, ratione revelationis, constanter tenendum, quòd ipsa DEI sit à Spiritu Sancto per Prophetas & Apostolos, in Scripturis Sacris, de verâ Religione, perfectè ac perspicuè, ad gloriam DEI, & Salutem hominum, revelata Sententia.

Non n. modò Verbum definimus ὑποκειμένον, seu substantiale, quod Deus ab æterno genuit, & est *χαρὰ κλήρη τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ* Heb. 1.3. ipse nimirum Filius Dei: sed Verbum *προφορικόν*, quod Deus elocutus est, nobisq; revelavit: Et dicitur Lex, Evangelium, Consilium, Sapientia Dei; nec non plurimas, pro ratione tam caussarum, quàm Effectuum, appellationes fortitur alias, de quibus nunc non est dicendi locus.

IV. Verbum DEI propriè ac definitivè, non est doctrina, nec Scriptura; sed ipsa DEI nobis revelata mens & sententia.

Quamvis enim verissimum DEI Verbum sit, quod Sacrarum literarum monumentis descriptum exstat, idq; idèò revelatum, ut doceatur ac discatur; ipsa tamen Scripturæ ac doctrinæ ratio, quâ talis, naturam illius non constituit, quod vel indè patet. Nam, quemadmodum Scriptura Sacra quondam non erat; sic olim iterum abolebitur; doctrina quoq; cessabit, quandò Deum visuri sumus, sicuti est, 1. Cor. 13. 8. 1. Joh. 3. 2. Verbum autem Domini Dei nostri, manet in æternum Esa. 40. v. 8. 1. Pet. 1. v. 23, 25. Luc. 21. 33.

V. Auctorem, seu *Causam Verbi Principalem*, DEUM profiteamur Opt. Maximum; *Instrumentalem* autem Sanctos DEI homines, quos Deus immediatè vocatos, & extraordinariis instructos Sp. Sancti donis, *ιδιότητως* isti Ministerio destinavit.

Atq;

Atq; eâ de causâ Verbum hoc passim in Scripturis dicitur 1. *Verbum Dei*, quod Deus, quod Dominus, quod Sp. Sanctus locutus est, revelavit, manifestavit. 2. *Verbum Prophetarum & Apostolorum*, quod Sancti DEI homines, non suo protulerunt arbitrato; sed ὑπὸ πνεύματι ἁγίῳ φερόμενοι, seu instinctu Sp. Sancti 2 Pet. 1.21. Et quùm expressa Spiritus Sancti vox sit, quòd *Deus* locutus sit *per os Sanctorum Prophetarum* Luc. 1. 70. Heb. 1. v. 1. Et Christi ad Apostolos: Non vos estis, qui loquimini, sed *Spiritus* patris mei loquitur *in vobis* Matt. 10. 20. in re manifestâ, non est, ut verbum addamus.

VI. Verbum istud suum, primis mundi temporibus, vivâ tantùm voce DEUS propagari voluit: Sed postea, tùm Prophetæ, tùm Apostoli, in Sacras illud retulerunt literas, quæ Verbi nobis revelati *Materiam in quâ*, seu *Subiectum* constituunt.

Videlicet, ad tempora Mosis usq; vivâ tantùm voce Verbum DEI prædicatum fuit. Latâ autem Lege in monte Sinai, DEUS suo ipsius Digito, duabus tabulis Decalogum inscripsit; atq; ita *Scripturam* Verbi sui, magnifico prorsus exordio consecravit. Exod. 31. v. 18. Cap. 32. v. 16. Deut. 9. v. 10.

VII. Idem Sancti DEI Viri, non aliud sensu, aut diversum sententiâ; sed idem prorsus Verbum, quod priùs prædicaverunt, sacris literis descripsere.

Non quæritur, An pluribus illud, pro re natâ, Verbis explicarint, quod per Scripturam nobis reliquerunt? Nam id fatemur omnes. Hoc autem est, quod modis omnibus contendimus, nequaquam aliud aut diversum, sed idem *sensu* Verbum DEI, sacris contineri literis, quod Prophetæ & Apostoli vivâ voce prædicaverunt. Nam certè Paulus probaturus, Nihil se diversum ab illis docere, quæ Prophetæ *dixerunt*, & Moses, Act. 26. 22. Act. 28. 23. Rom. 1. 2. *Scripta* illorum adducit, in quibus, dum le-



guntur, *Voces* illorum ( seu, idem, quod vivâ voce prædicarunt) legi & audiri, manifestè confirmat Act. 13. v. 15, 27. & seqq. Et, undè nobis constat de doctrinâ, quam Moses & Prophetæ prædicarunt, nisi ex ipsorum Scriptis? Quæ dum legi audimus, ipsum Moses & Prophetas audire dicimur Luc. 16. 29. Deniq; si quis quærat, quid scripserint Apostoli? Unus eorum respondet loco omnium: Quod vidimus & audivimus, annunciamus vobis &c. Et hæc ( *ἡμεῖς* ) scribimus vobis 1. Joh. I. v. 3, 4.

VIII. Distinctionem ergò Verbi DEI, quam Pontificii suis prætendunt Traditionibus, in *ἔγγραφον καὶ ἀγγραφον*, Scriptum & non-scriptum, hætenus nullam esse, manifestum est.

Scimus enim, prædicatum fuisse Verbum DEI, quando non scribebatur; sed aliud prædicatum, aliud scriptum esse Verbum, nullâ ratione probari potest.

IX. Maximis autem de causis, procedente tempore, sacras Scripturas in Ecclesiâ suâ, sapientissimus omnium rerum dispensator, DEUS, extare voluit: quarum necessitatem, cum summâ conjunctam utilitate, omnes pii meritò venerantur & agnoscunt.

Necessitas scilicet hæreseon & scandalorum 1. Cor. 11. 19. Matt. 18. 7. peperit necessitatem Scripturarum. Nam per extremam hujus mundi corruptionem, aliter non potuit Veritas Verbi incorrupta retineri; nec falsitas hæresium profligari. Quod adeò verum est, ut ipse Bellarminus, Apostolos *necessitate quâdam* coactos, animum ad scribendum applicuisse fateatur Lib. 4. de V. D. Cap. 4. §. Secundò probatur.

X. Nec dubitari debet, quin Prophetæ & Apostoli, non minùs scribendo, quàm prædicando, instinctum ac mandatum ipsius DEI secuti sint.

Cras.

Crasfissimus Pontificiorum error est, Apostolos nullum scribendi mandatum divinum habuisse; sed suum datâ occasione consilium secutos, & propter incidentem necessitatem, Verbum DEI in literas retulisse. Nam 1. Omnes expressum habuerunt Domini mandatum, ut docerent omnes gentes, usq; ad finem Mundi Matt. 28. v. 19, 20. Quod quum vivâ voce non possent, scriptis facere debuerunt; isti omnino, quos insuper ad scribendum peculiariter impulit Sp. Sanctus. 2. Johanni Dominus in specie vel duodecim vicibus expressè mandavit in Apocalypsi, non tantum, ut arcanas quasdam Visiones, quemadmodum Bellarminus (Lib. 4. de V. D. Cap. 3. §. Falsum quoq;) nugatur; sed & summa doctrinæ celestis Capita, de Providentiâ Dei, de Personâ & Officio Christi, de Conversione, Fide, Perseverantiâ, de Bonis Operibus, Extremo judicio, Vitâ aternâ, & alia plurima, scriberet, quæ verba vera sunt ac fidelia Apoc. 21. v. 5. 3. Deniq; Visum est Spiritui Sancto, & nobis, inquit Apostoli, primùm sacræ manum admoventes Scriptioni Act. 15. v. 22, 23, 28. Et, Omnis Scriptura dicitur Θεόπνευστος 2. Tim. 3. v. 15, 16. Deus igitur inspiravit Apostolis, ut scriberent: Ergo & mandavit.

XI. Istis ita constitutis, quæ nullo certè colore possunt negari, doctrinam, seu Scripturam Sacram, ab omni lapsus & erroris notâ purissimam esse, constanter profitemur.

Nam 1. Spiritus *veritatis*, cujus immediato Sanctos DEI Viros impulsu ductos fuisse constat, lapsus & erroris auctor esse non potest. 1. Joh. 2. v. 21, 27. Nec 2. sine manifestâ cogitari blasphemîâ, quod Deus pro falsitate testimonium dixerit, qui doctrinam illorum tot tantisq; miraculis confirmavit Heb. 2. v. 4.

XII. Quidquid proindè Scriptura dicit, tanquàm certissimum, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον, absq; omni hæsitacione credendum est.

Habet enim justam, quidquid excellit, venerationem; longè v. justissimam, ipsum DEI Verbum: Cui quisquis non credit, ipsum

ipsum DEUM mendacem facere; qui verò credit, veritatem DEI sancto velut signaculo confirmare dicitur Joh. 3. v. 33. 1. Joh. 5. v. 10.

XIII. Istam sive Dignitatem, sive Auctoritatem, non habet ab hominibus, imò, nec à Sanctis Angelis; sed à solo DEO, principali Scripturæ Causâ & Auctore.

Nimirum, Quia non humanâ voluntate, nec instinctu Angelorum; sed immediatâ summi Numinis inspiratione, Verbum DEI in Scripturâ revelatum est, istâ principali gaudet auctoritate, ut omnium fidem simpliciter mereatur; & ne Angelus quidem de Cælo, si diversum doceat, sit audiendus, Gal. 1. v. 8, 9, 11, 12.

XIV. Nobis autem illam, & Sp. Sancti testimonium; & ipsa, tum doctrinæ tum miraculorum divinitas, quæ per universam manifestissimè patet Scripturam, luculenter demonstrat.

Quemadmodum Christus: Si quis, inquit, voluerit facere voluntatem ejus, qui me misit, cognoscat de doctrinâ, Utrum ex Deo sit; an Ego à meipso loquar Joh. 7. 17. Ita 1. Sp. Sanctus testatur, quòd Spiritus (in Ministerio Verbi & Sacramentorum 2. Cor. 3. v. 6.) sit veritas 1. Joh. 5. 6. Et quisquis 2. Verbum DEI revelatum in timore Domini legerit, audiverit, & cum studio discendi meditatus fuerit, fieri non potest, quin divinam testimonii illius efficaciam, Verbi majestatem, Vim miraculorum, atq; adeò omnem istius *à u. Jernies* seu divinæ veritatis ac potestatis virtutem, evidentissimè sit deprehensus. Est enim vivum & efficax Heb. 4. v. 12. Spiritus & Vita Joh. 6. 63. Quod, si miraculis, quæ in Scripturis narrantur, adstructum est, certè verum est: Si non est, maximum miraculum est, sine miraculis in universo mundo fidem invenisse Col. 1. v. 5, 6.

XV. Ex his jam, & aliis indè deductis fundamentis, Ecclesia Dei vera, de divinâ Verbi revelati

velati seu Scripturæ Sacræ Auctoritate liquidò  
*testari* potest; Auctoritatem illi divinam *dare*  
nullo modo potest.

*Testari*, inquam, potest: quia vim Verbi, cujus veritatem sanctissi-  
mè tuerur, ipsa exploratè perspectam habet; Et omnibus vult esse  
notissimã. Atq; ideò dicitur *ἐβλήθη καὶ ἐδεδείχθη τῆς ἀληθείας*  
1. Tim. 3. 15. *Dare* nullo modo potest auctoritatem, quæ purè di-  
vina est, quæ primum, quæ summum credendi principium; adeò,  
ut nec ipsis Apostolis, nec Angelo de Cœlo credendum sit, si quid  
à doctrinâ Prophetarum & Apostolorum adferat diversum Act.  
16. 22. Gal. 1. 8.

XVI. Verbi revelati *Materia circa quam* (sic lo-  
quuntur), seu *Objectum*, est vera Religio; aut, si  
quis malit, ipse Deus & Christus, quatenus ve-  
rà Religionè à nobis colendus.

Totum illud, quod Deus à nobis in verbo suo requirit homini-  
bus, unà voce non incommodè *Religio* dici videtur: quæ tùm  
*γνώσθη ἀληθείας*, seu veram veri Dei & Christi cognitionem, de  
quâ Joh. 17. v. 3. tùm *πρᾶξι βουβείας*, seu piam secundum vo-  
luntatem Dei Conversationem, de quâ Tit. 2. v. 12, 13. complecti-  
tur. Et certè negari non potest, universam in eo Scripturam oc-  
cupatam esse, quo modo, quibus de causis, & quo fine, DEUS &  
Christus à nobis religiosè coli debeat. Undè *veram Religionem* to-  
tius Scripturæ Sacræ *Objectum* esse, curvis patet. Et ex hoc fortè  
fundamento tritissima Quæstio, Num Theologia Theoretica  
sit; an verò Practica? nullo negotio decidi potest.

XVII. Jàm illâ maximè de causâ, Scriptura Sa-  
cra dicitur *Canonica*: quia certissima Regula  
est ac Norma, Fidei, morum, atq; adeò totius  
religionis.

Nec id sine manifestâ ipsius Scripturæ auctoritate. Nam & Apo-  
stolorum Doctrinam Psal. 19. v. 5. *ἵπ* Normam seu lineam dici  
B Rom.

Rom. 10. v. 8. perspicuè docetur : Et Summa Doctrinæ coelestis, expressè *ἡ γὰρ* seu Regula nominatur Gal. 6. 16. Phil. 3. 16.

XVIII. Sed, ne quis errori locus relinquatur, accuratè tenendum est Librorum *Canonicorū* & *Apocryphorum* discrimen longè maximum.

Quamvis enim eodem illi Bibliorum Volumine comprehendantur; non tamen eandem habent auctoritatem; quin, Apocryphorum doctrina non aliter est admittenda, quàm quatenus ex amissim cum Canonicis consentit.

XIX. Libri *Canonici* sunt, qui non nisi merè divinam, & ex immediatâ Spiritus Sancti inspiratione descriptam veritatem, exploratè comprehendunt.

Prorsus, ut aliquot jam suprà thesibus ostensum fuit.

XX. Ejusmodi sunt Libri Veteris Testamenti, quotquot idiomate sacro, maximam quidem partem Hebræo; partim verò Chaldæo, Capitibus aliquot Danielis, Esdræ ac Nehemiæ cōtinuis, & sparsim aliàs, extant descripti.

Istos nimirum omnes Canonicos esse evincit 1. Ipsum doctrinæ genus. 2. Testimonium Judæorum, quibus à Deo concredita fuerunt τὰ λόγια τῶ Θεοῦ Rom. 3. 2. 3. Et, quod maximum est, testimonium, tum ipsius Christi, tum Apostolorum: qui non tantum Mosen, Prophetas, & Psalmos, legere scrutariq; jubent; sed & subindè divinam doctrinæ suæ Veritatem ex illis confirmant ac defendunt.

XXI. Librorum Novi Testamenti pariter omnium, exiguo (rem ipsam quod attinet) & penè nullo discrimine, Canonicam auctoritatem libenter agnoscimus ac prædicamus.

Notum

Notum est, de nonnullis illorum aliquandiu dubitatum; imò etiam contradictum quibusdam in primitivâ fuisse Ecclesiâ. Verùm enim verò, divina doctrinæ eorum majestas, & tam sibiipsis, quàm reliquis indubitato Canonice scriptis, constanter consentiens Veritas, *av̄ d̄ev̄t̄av̄* illorum abundè demonstrat atq; tuetur.

**XXII.** Libri *Apocryphi* sunt, quorum, per evidentes rationes, obscura & incerta semper in Ecclesiâ primitivâ fuit auctoritas.

Nempè, quia 1. Non habent auctorem immediatâ inspiratione Spiritum sanctum; atq; ideo 2. nec indubitato divinam auctoritatem. Quin potius 3. nonnulla continent Canonice Scripturis ignota partim; partim etiam contraria.

**XXIII.** Tales sunt omnes Libri (sub quibus etiam librorum quorundam ejusdem generis particulas intelligimus) Veteris Testamenti, qui non extant scripti sacrâ linguâ, nec in Canone numerantur Hebræorum.

Nam inde colligitur evidentissimè, quòd non sint à Prophetis (quos omnia, quæ scripserunt Canonica, Judæis suâ linguâ legenda atq; adservanda tradidisse certum est) impulsu Spiritus sancti immediato scripti. Nec potest negari, quòd nò pauca contineant, quæ nec inter se, nec cum Scripturis indubitato Canonice, ullo modo possunt conciliari; de quibus in actu Disputationis.

**XXIV.** Quamvis igitur nihil causæ sit, cur, respectu Scriptorum profanorum, sacri sanctivè nominari, cur ad ædificationem plebis in Ecclesiâ legi non debeant; Vim tamen fundandi religionem, & articulos fidei probandi, per se non habent.

In promptu causa est, quia fides, & tota religio Christiana, non debet lubrico humanæ Sapientiæ, sed firmo, constantiq; *div̄v̄m̄eas̄*

seu virtutis ac revelationis liquidò divinae, niti fundamento 1.  
Cor. 2. v. 4, 5. Joh. 7. 17. Eph. 2. 20.

XXV. His jam sepositis, aut suo potius loco relictis, quod in Veteris, & Novi Testamenti Scripturis omnium Confessione divinis ac Canonice habemus, Verbum DEI revelatum, nil nisi pura puta divina veritas est, ad cuius præscriptum, omnis veræ Religionis ratio sanctissime constitui debet.

Quippè DEUS, *ὡς οὐκ ἔστιν ἀπεόριστον* 1. Tim. 6. 16. aliter à nobis cognosci, aliter coli nec vult, nec ritè potest, quàm sicut seipsum in Verbo suo revelavit Num. 15. 39. Deut. 12. 8. Matth. 15. 9. Quotquot autem *τῷ κενῶν τέτρω σιχηύσασι*, super istos pax & misericordia Gal. 6. 16. Sed hæc, ubi de *Formâ* Verbi Dei egerimus, patebunt rectius.

XXVI. *Formam* Verbi revelati considerare licet tum Internam, tum Externam.

*Internam* ratione sensus; *Externam*, ratione Linguae, quâ sensum illum Spiritus Sanctus expressit.

XXVII. *Interna* consistit in eo, quòd DEUS suâ de verâ religionis sententiam *perfectè* ac *perspicuè* nobis in Scripturis manifestavit.

Non particulatim, sed conjunctim, quæ dicimus, accipienda sunt, de toto Verbo DEI revelato, quod ipsam summi Num: inis sententiam esse, jam antè evicimus; quam ubi de verâ religionis *perfectè* ac *perspicuè* in Scripturis Sanctis haberi demonstraverimus, totius revelationis divinae formam seu modum, oculis quasi licebit intueri.

XXVIII. *Perfectè* dicimus revelatum Verbum DEI; quia nihil est omnium, quæ veræ religionis, & salutis æternæ consequendæ rationem

con-

concernunt, quod in sacris literis, vel explicitè,  
vel implicitè non inveniatur.

*Perfectum* dicitur, cui ad naturæ suæ rationem nihil deest. Quùm igitur Verbum DEI revelatum, ex constitutione divinâ, per rationem naturæ suæ, circa veram unicè occupetur religionem; dum perfectionem illi tribuimus, exindè non tenemur ex Scripturis ad omnes curiosas sciosorum hominum respondere Quæstiones: sed ex eo, quòd, quæcunq; ad veram religionem, & Salutem nostram, pertinent, vel manifestis ibi verbis habentur; vel per legitimam indè consequentiam deducuntur, invictè perfectionem illius obtinemus.

XXIX. Sic jam satis explicasse videmur, quæ sit illa Sacræ Scripturæ perfectio, pro quâ tanto Zelo pugnant Orthodoxi: quam sic undiq; munitam esse scimus, ut nullis unquam machinis possit expugnari.

Nam I. Verbum DEI sacris literis comprehensum, nec adjectionem admittit, nec detractionem Deut. 4. v. 2. Cap. 5. v. 32. Cap. 12. v. 32. Prov. 22. v. 17, 18, 19, 20, 21. Cap. 30. v. 6. Apoc. 22. v. 18. 2. Scriptura *θεοπνευστος* omnia tradit, quæ ad fidem & mores pertinent, ut homo DEI perfectus sit, ad omne opus bonum *εξηγησμενος*, seu perfectè instructus 2. Tim. 3. v. 16, 17. 3. Sacræ literæ nos sapientes reddere possunt, ad consequendam salutem, per fidem, quæ est in Christo Jesu 2. Tim. 3. v. 15. Joh. 5. v. 39. Cap. 20. v. 31. Et 4. Normam constituunt omnis Theologicæ veritatis Gal. 6. 16. Esa. 8. 20. Act. 26. 22.

XXX. An Libri nonnulli Sacri perierint? Magno quæritur molimine. Nos, aliorum salvo iudicio, non magnoperè referre iudicamus, seu quis affirmantem amplectatur, seu negantem. Ceterum Canonica Scripturæ nihil prorsus periisse certum est.

Acrius pugnatur de Libro recti Jos. 10. 13. de Libro bellorum Domini,



Num. 21. 14. de Prophetiâ Enochi Ep. Jud. v. 14. & aliis scriptis. De quibus sic existimamus; quòd, quæcunq; intercederunt, inter Canonica Scripta referri non possint. Nam, Si ne apex quidem de Lege petibit Matth. 5. 18. quomodò toros de Canone sacro libros intercidisse, divina passa fuisset Providentia? Quapropter, quotquot periére libri, quamvis forsân à sanctis DEI Viris scripti fuerint, eo ipso quòd perierunt, Canonicos non fuisse, nec eorum amissione perfectioni Canonis vel tantillum derogari fatendum est.

**XXXI.** Quæ quùm ita sint, quòdcunq; Dogma per Scripturas probari non potest, vel manifestus error est; vel certè, non pertinet ad veram religionem, nec est necessarium ad Salutem.

Id scilicet evidenter sequitur ex superioribus; Et per se patet, quidquid de Sacris literis auctoritatem non habet, in censum Capitulum veræ religionis non venire, cujus Normam sola constituit Scriptura sacra.

**XXXII.** Ex eodem fundamento pridèm jam actum est de Traditionibus, quas Pontificios præter Verbum DEI scriptum, jactare, eòq; nomine gravissimos errores venditare, notissimum est.

Quùm ipsa Sacris Literis descripta Doctrina, Traditionum nomine veniat Act. 6. 14. 1. Cor. 15. v. 3, 4. & passim alibi, Traditiones à nobis non simpliciter rejiciuntur omnes; sed eæ duntaxat, quas à *veris* *Ps*, seu non-scriptas vocant, & præter Scripturam, sui Compendii causâ, comminiscuntur Pontificii. Nam, quòd præter Scripturam sunt, certè non *contra* eam, vel directè, vel indirectè, pugnare non possunt Gal. 1. 8. 1. Tim. 2. v. 3. Cap. 6. v. 3 &c.

**XXXIII.** Alterum, de *perspicuitate*, sic accipiendum est, quòd omnia, quæ veræ religionis sunt, & ad consequendam salutem æternam pertinent, dilucidè ac perspicuè Deus nobis in Sacris literis manifestarit.

Conf-

Confitemur inpervestigabilem Myſteriorum Scripturæ majeſtatem; & libentiſſimè damus, ut in Epistoſis Paulinis 2. Pet. 3. 16. ſic & in reliquis Scripturis, inveniri nonnulla nobis obſcura ac difficilia. Sed contra, nihil eſt tam obſcurè dictum, quod alibi non planiſſimè dicatur; nec ullus punctus veræ religionis, qui non alicubi in Scripturis clariſſimè inveniatur explicatus.

XXXIV. Iſthæc ergò ratione, Scriptura Sacra nequaquam obſcura eſt; ſed omnibus modis dilucida atq; perſpicua.

Contra Solem loquuntur, qui negant iſtud, Pontificii. Nam 1. Expreſſè Verbum DEI, ſeu Scriptura ſacra, dicitur Lux & Lucerna Prov. 6. 23. Pſal. 119. 105. 2. Illuminans oculos mentis noſtræ, Pſal. 119. 9. Eph. 1. 18. 3. Lucens in loco caliginoſo 2. Pet. 1. 19. 4. atq; adeò non niſi pereuntibus operta, quorum mentes Diabolus occæcat, ne illuceſcat ipſis ſplendor Evangelii gloriæ Chriſti 2. Cor. 4. v. 3, 4. 5. Deniq; locus Clariſſime eſt Eſa. 8. v. 20. qui, verbum de verbo ſi reddatur, ſic habet: Ad Legem & Teſtimonium; ſi non dixerint juxta verbum hoc, cui nulla obſcuritas, ſeu nigredo. Vox אור, vi originis ſuæ, dicitur Aurora, propter eam, quam Lux oriens, ſibi mixtam habet Caliginem. Nam eſt אור Niger fuit. Ita Verbum certè Propheticum ab omni nigredinis ſeu obſcuritatis accuſatione fortiſſimè vindicabitur, & unico Dicto, tam perſpicuitas, quam Canonica Sacræ Scripturæ auctoritas, invictè demonſtrabitur. De quo libenter audio iudicia doctiorū.

XXXV. Forma Verbi Dei revelati Externa eſt, tum admiranda Styli, tam noſtro captui, quam Myſteriorum ſublinitati, pariter accommodata cum ſimplicitate Majeſtas; tum Linguæ Hebrææ Veteris, & Græcæ, Novi Teſtamenti, proprietas.

Præ ex diligenti Scripturarum perveſtigatione maniſeſtum eſt, & S. Paulus luculenter confirmat 1. Cor. 2. 4. Poſterius fateri coguntur omnes, quòd nempe Vetus Teſtamentum Hebræo (exceptis paucis Chaldæis); Novum autem Græco, per ſanctos DEI homines, idiomate conſcriptum ſit. Unde Linguas iſtas Fontium nomine celebra-

mus,

XXXVI. Scri-

**XXXVI.** Scripturam autem Sacram utriusq; Testamenti, in suâ Linguâ seu fontibus, integram atque incorruptam ad nos pervenisse, firmiter statuimus; nec hætenùs fuit inventus, qui contrarium solidè potuerit demonstrare.

Magno tentarunt istud conatu Pontificii; sed hætenùs irrito. Nam singularis DEI Providentia, quâ nobis omne suum in Scripturis de Salute nostrâ Consilium revelavit, Scripturas certè sacras integras nobis & incorruptas mirabiliter conservavit; quod prolixè jam pridem aliorum Scriptis est demonstratum.

**XXXVII.** Textum ergò authenticum sacrum constituunt fontes linguarum Originalium, & ad istum omnes cujuscunq; nominis Versiones examinandæ sunt.

Nempè, quia in istis Linguis, Sanctos DEI homines Verbum DEI descripsisse certum est; quos ipse Spiritus Sanctus immediatè duxit, in isto toto Ministerio, & ab omni errore liberos præstitit: Quo sanè privilegio, nullus gaudet eorum, qui illud in alias Linguas transtulerunt.

**XXXVIII.** Nunc jam ampliùs obscurum esse non potest, quod thesi 17. dicebamus, & modò pressius urgemus, Quòd Scriptura Sacra unica Norma sit Fidei, morum, atq; adeò iudex omnium controversiarum totius Religionis.

Nimirum, quia 1. per illam Deus omnem de Religione Voluntatem suam nobis perfectè ac perspicuè manifestavit, ut hætenùs luculenter ostensum. 2. Ad Legem & Testimonium examinari iussit doctrinam eorum, qui à manifesto DEI Verbo discedunt Esa. 8. 20. Tùm v. 3. Ipse Christus & Apostoli, Scripturam Canonicam in Controversiis fidei unicè sunt secuti; Ex unicâ Scripturâ Christus disputavit contra Diabolum, Matt. 4. v. 4, 7, 10. Contra Phariseos Matt. 19. v. 4, 5 & 8. & passim alibi; Contra Sadducæos Matt. 22. v. 29, 31, 32. &c. In primis notari debet, quòd Christus contra Judæos disputans: Si Moysi, inquit, credere-

crederetis, utiq; mihi crederetis. Nam ille de me scripsit. Quòd si Scri-  
ptis illius non creditis, quomodo verbis meis crederis? Joh. 5. v. 46, 47.  
De Apost. is item res adeò manifestè patet, ut exempla adscribere su-  
pervacant non ducamus. Contra Judæos Petrus Act. 2. v. 22. &c. Con-  
tra Pseudo-apostolos Paulus Rom. 3. & 4. Gal. 2. & 3. ex foliis Scriptu-  
ræ fundamentis disputat. Nec 4. Ulla unquam extitit de Religione  
Controversia, quæ non ex solis Scripturis sufficientissimè potuerit di-  
judicari. Taceo 5. quòd ipse DEUS in extremo die mundum secundum  
Verbum revelatum judicaturus sit Rom. 2. 16. Marc. 16. v. 15, 16.

**XXXIX.** *Finis* deniq; Verbi Dei revelati est  
Gloria Dei; Et Salus hominum.

*Illud* per se patet; quum in omnibus DEUS glorificari debeat in Chri-  
sto Jesu 1. Pet. 4. 11. *Hoc* expressè dicitur 2. Tim. 3. 15.

**XL.** Hæc jam quæritur de *Virtute & Efficacia*  
Verbi, seu Scripturæ Sacræ. Ubi firmiter statuen-  
dum, quòd Verbum DEI non sit litera mortua;  
ut Objectivè tantum, & significativè viam mon-  
stret Salutis: sed divinitus vivum & efficax Orga-  
non Conversionis, Illuminationis, Regeneratio-  
nis, Vitæ ac Salutis æternæ.

*Verbum enim Dei* est, de quo loquimur, quod ideò, *quia Verbum Dei*  
est, vivum est, & efficax, & quovis ancipiti gladio penetrantius Heb. 4.  
12. Spiritus & vita Joh. 6. 63. potens convertere, & salvare animas  
2. Cor. 10. v. 4, 5. Jac. 1. 21. Rom. 1. 16.

**XLI.** Et hanc virtutem, non quidem naturali-  
ter, nec à se; reverà tamen supernaturaliter habet  
in se, per singularem DEI constitutionem & Or-  
dinationem.

Nam postquam in Sapientià DEI mundus non cognovit DEUM per  
Sapientiam; *placuit* Deo, *per stultitiam prædicationis* salvos facere  
credentes. 1. Cor. 1. 21. Esa 55. v. 10, 11.

C

XLII. Qua-

XLII. Quare, quādo cunq; Verbum DEI legitur, prædicatur, auditur, consideratur; semper & omnibus promiscuè per se efficax Organon est Conversionis & Salutis æternæ.

Scilicet ex Ordinatione DEI, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad veritatis agnitionem venire 1. Tim. 2. v. 4.

XLIII. Et, unâ eademq; actione, quàm verè Spiritus Sanctus *principaliter*; tam verè verbum DEI, nos convertit, illuminat, regenerat, salvos deniq; facit *Organicè & Instrumentaliter*.

Hinc Deus dicitur convertere ac regenerare; sed, *per Verbum* veritatis Jac. I. 18. 1. Pet. I. 23. Hinc Fides & Salus æterna *ex auditu*, & *per Verbum* DEI esse dicitur Rom. 10. 17. Joh. 17. 20. Act. II. 14.

XLIV. Verbum illud revelatum dividitur generaliter in *Legem & Evangelium*.

*Lex* circa Vitam & Mores; *Evangelium* circa Fidem occupatur.

XLV. Specialiter dispescitur in *Testamentum Vetus & Novum*.

Idq; ratione temporis, fortè etiã Objecti; quàm *Specialiter* loquendo, longè alia religionis sub Veteri Testamento ratio fuerit, atq; jam sub Novo; de quo aliàs.

XLVI. Fuit Verbi DEI consideratio ratione Revelationis; sequitur, *De illius Interpretatione*; quæ vel Simplex est; vel conjuncta cum perspicuâ *Ἑρμηνεία* & explicatione.

XLVII. *Simplex* Verbi Interpretatio, est nuda Linguarum textus Originalis in Linguam nobis notam & vernaculam Conversio seu translatio:

quam

quam non modò licitam, sed & omnibus modis  
necessariam esse judicamus.

Quia enim Verbum DEI nobis revelatum est, propter Salutem omni-  
um nostrum, ut legatur, Matt. 24. 15. Esa. 34. 16. Apoc. 1. 3. & habitet in  
nobis opulenter Col. 3. 16. Omnibus autem non datur Hebrææ ac  
Græcæ Linguæ cognitio; omninò necessarium est, transferri Sacra Bi-  
blia in Linguas notas, & cuiusgenti vernaculas; ut, si non omnes,  
saltem plures illa legere, accuratiùs meditari, & quotidie in veritatem  
eorum, quæ publicè docentur, inquirere possint, juxta illorum exem-  
plum, de quibus Act. 17. II.

XLIIII. Interpretatio cum *ἐπιλύσει*, est perspicua  
ac plana genuini sensus Sacræ Scripturæ accuratè  
resolutæ Explicatio.

Nam licet, ut diximus, Scriptura sit dilucida & perspicua; tamen ob  
nonnullorum locorum difficultatem, Mysteriorum inpervestigabi-  
lem sublimitatem; tum verò, ut omnia veræ religionis Capita eò re-  
ctiùs intelligi, & ordine percipi possint, donum Scripturam dextrè ex-  
plicandi summo studio consecrandum est, undè quàm maximè Ec-  
clesia edificatur 1. Cor. 14. v. 1, 3, 5.

XLIX. Scriptura non est *ἰδίως ἐπιλύσεως* 2. Pet. I. 20.  
Ideoq; ut verum ejus sensum adsequamur, adfi-  
duis precibus incumbendum, & opera inprimis  
danda est, ne sensum in illam inferamus, sed ex eâ  
auferamus.

Id quod fiet, si piâ & accuratâ diligentia, textus ipsius viscera introspi-  
ciamus; antecedentia & consequentia perpendamus; obscuriora ex  
lucidioribus inquiremus; ex Linguis Originalibus omnia per mini-  
mas etiam particulas rimemur; deniq; quantum usq; possumus, ver-  
borum, sermonisq; proprietati constanter inhæreamus.

L. Omnis Scripturæ Interpretatio, ratione Mo-  
di,

di, sit consona fidei Rom. 12. 6. ratione Finis, ser-  
viat ædificationi proximi, & gloriæ DEI,  
Qui sit benedictus in secula!

הלל

Προφήτης.

De Melchizedeko jam olim silentio sopita, nostro modo tempore  
contrariis studiis resuscitatur ex Epistolæ maximè ad Hebræos Cap 7.  
Controversia, quâ quæritur: *Quis fuerit Melchizedekus, qui Patri cre-  
dentium Abrahamo, quàm victor quatuor Regum rediret, obvius, profe-  
rensq; panem & vinum, solemniter benedixit, de quo Gen. 14?*

Nos certè, nec Angelum, nec DEUM Sp. Sanctum; multò verò mi-  
nùs virtutem aliquam DEI, Christo majorem, de quâ quondam Mel-  
chisedeciani somniasse dicuntur; imò, nec ipsum DEI filium sub hu-  
mano schemate: sed verum hominem, Regem ejus temporis in Salem,  
Sacerdotem DEI Opt. Max. Melchizedekum illum fuisse per Scri-  
pturas sumus persuasi, qui typum gesserit Christi Regis &  
Sacerdotis æterni.

Ad Præstantissimum & Literatissimum  
DN. RESPONDENTEM.

**D**esidia studeat, consumat segniter annos  
*Fex Juvenum, non te talem genuere parentes,  
Mi DANIEL, his cura fuit, quæ tempora Musis  
Dicares, studiis laudemq; decusq; parares.  
Hunc sequeris ductum, Laudo. Tu pergito porrò,  
Ceu facis, hancce viam decurrere: larga manebunt  
Præmia, Thevlogia studium caput inferet astris.*

JOHANNES QUISTORPIUS  
D. & Th. Facult. Senior.

☉(O)☉







quam non modò licitam, sed  
necessariam esse judicamus.

Quia enim Verbum DEI nobis revelatum  
um nostrum, ut legatur, Matt. 24. 15. Esa. 3.  
nobis opulenter Col. 3. 16. Omnibus au  
Græcæ Linguæ cognitio; omninò necessar  
blia in Linguas notas, & cuius genti vern  
saltem plures illa legere, accuratiùs medita  
eorum, quæ publicè docentur, inquirere p  
plum, de quibus Act. 17. II.

XLIIII. Interpretatio cum *em*  
ac plana genuini sensus Sacræ S  
resolutæ Explicatio.

Nam licet, ut diximus, Scriptura sit diluci  
nonnullorum locorum difficultatem, My  
lem sublimitatem; tum verò, ut omnia ve  
ctiùs intelligi, & ordine percipi possint, do  
plicandi summo studio consecrandum est  
clesia ædificatur I. Cor. 14. v. 1, 3, 5.

XLIX. Scriptura non est *idias*  
Ideoq; ut verum ejus sensum a  
duis precibus incumbendum,  
danda est, ne sensum in illam in  
auferamus.

Id quod fiet, si piâ & accuratâ diligentia, tex  
ciamus; antecedentia & consequentia perp  
lucidioribus inquiremus; ex Linguis Orig  
mas etiam particulas rimemur; deniq; qua  
borum, sermonisq; proprietati constanter in

L. Omnis Scripturæ Interpretatio

us modis

utem omni  
& habitet in  
& Hebrææ ac  
rri Sacra Bi  
non omnes,  
n veritatem  
orum exem-

er spicua  
ccuratè

tamen ob  
er vestigabi  
apita cò re  
n dextrè ex  
maximè Ec

et. I. 20.  
r, adfi  
primis  
d ex eâ

a introspi  
curiora ex  
per mini  
imus, ver-

ne Mo-  
di,

